



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

CXXX. Johann, Bischof zu Verden, bestätigt der Propstei Döhre alle ihre
Besitzungen, am 22. November 1443.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

CXXX. Johann, Bischof von Verden, bestätigt der Propstei Döhre alle ihre Besitzungen,
am 22. November 1443.

Johannes, dei et apostolice sedis gratia Episcopus Verdenfis, uniuersis et singulis quos infra scriptum tangit negotium vel quomodolibet tangere poterit in futurum salutem et sinceram in domino charitatem. Cum prepositura in Dore nostre dioecesis ad Episcopi Verdenfis pro tempore collationem dinoscatur pertinere pleno iure, hinc est quod nostri interest plenam habere notitiam, quibus bonis, possessionibus, redditibus, emolumentis perfruatur et ad presens in sua pacifica teneat et habeat possessione. Et propterea dilectum nobis in Christo Dominum Johannem Verdemann, dicte prepositure ad presens prepositum, constrinximus ita quod ipse omnia bona, possessiones redditus et emolumenta in scriptis tradidit et assignauit, asserens quod predicta omnia et singula prepositura predicta largitione fidelium ac alias iusto titulo acquisiuisset et tanto tempore quod memoria in contrarium non esset pacifice et quiete possedisset. Ideoque omnia et singula supradicta presentibus annotari fecimus huiusmodi sub tenore. Prepositura seu ecclesia parochialis in Dore Verdenfis dioecesis hodieque tenet et possidet ac in longeva possessione et ultra memoriam hominum huc usque continue habuit, tenuit et possedit pacifice et quiete bona infra scripta. In agris ville Dore octo mansos, quorum quilibet soluit tria quartalia filiginis, spectantes et pertinentes cum plena libertate et omni iure, dominio et proprietate ad curiam prepositure predictae, nec tenentur ad illam exactionem, que vulgariter Kroffenfchot nuncupatur, nec ad quamcunque aliam exactionem directe vel indirecte cuiuscunque secularis potestatis. Item in eadem villa Dore in curia nunc Hans Torneys tertium dimidium quartale filiginis annuatim de quodam manso qui communi more vocatur mansus prepositure. Item ibidem in curia nunc Mathies Nezemanns tertium dimidium quartale filiginis annuatim de manso qui communiter vocatur mansus prepositure. Item ibidem tres modios filiginis annuatim in curia nunc Beneke Snobbeles. Item ibidem in uilla Dore octo areas seu curias, que in vulgari Cotfater houe nuncupantur, cum omni iure, proprietate, dominio et seruitio et decima minuta, quarum due situate sunt in platea Robbert unam nunc inhabitat Jürges sutor aliam nunc inhabitat Hans Kynt et quelibet illarum soluit annuatim XII pullos vel IV solidos et unum pullum fumigalem. Item quatuor aree seu curie ex predictis sunt situate quarum tres medio ville, unam nunc inhabitat Ludeman Kok et soluit annuatim XII pullos vel quatuor solidos et unum pullum fumigalem, secunda nunc Reine Krogher et soluit annuatim VI pullos et sex denarios et unum pullum fumigalem, tertiam nunc desertam quondam inhabitauit Curd Brunfick et soluit annuatim XII pullos et XII denarios et unum pullum fumigalem, quartam etiam nunc desertam etiam inhabitauit Hoier von Danne et soluit annuatim XII pullos et XII denarios et unum pullum fumigalem. Item due aree ex predictis sunt situate prope ualnam Stenlage una ad dextram nunc deserta et soluit annuatim IV solidos et XII pullos et unum pullum fumigalem, alia ad sinistram quam nunc inhabitat Lütke Henneke et soluit prepositure unum pullum fumigalem et decimam minutam, ad structuram autem ecclesie XII pullos annuatim et seruitium, In molendino Dore sex pullos annuatim de nouali, item unum pratum circa uillam Dore, quod dicitur Wischediecke, de duobus plaustris. In uilla autem Sieden Dolsleue unam curiam habentem duos mansos preter decimam maiorem unius mansi. Hec curia cum omni iure et dominio, proprietate et iurisdictione et seruitio spectat et pertinet ad preposituram in Dore et eam pro nunc inhabitat quidam villicus nomine Claues Kouken, ex quodam pacto nunc soluens V marcas Lubicenses et unum pullum fumigalem et seruitium. Potest

tamen prepositus in Dore hunc censum ad suum placitum augmentare vel minuere secundum temporis qualitatem. Item in eadem villa molendinum cum omni iure et dominio et iurisdictione solvens annuatim duo quartalia filiginis et unum pullum fumigalem. Item ibidem unum mansum, quem nunc colit Henneke Winckelmann, soluentem nouem modios filiginis. Item ibidem unum pratium situm retro curiam predicti Henneken Winckelmanns de duobus vel tribus plaustris feni. Item ibidem unam aream ex opposito curie predicti soluentem annuatim unum solidum et unum pullum et seruitium. Item in agris ville Stenlage unum mansum soluentem annuatim nouem modios filiginis et XVIII. denarios Cruceschult. Item in villa Ellenberge unam curiam habentem duos mansos soluentem annuatim unum chorum filiginis et tres solidos Cruceschult et decimam minutam et pullum fumigalem et seruitium, et hec curia preter decimam maiorem cum omni iure, dominio, proprietate et iurisdictione spectat et pertinet ad preposituram Dore et eam inhabitat nunc Beneke Klenzeman. Item in villa Priloppe nunc deserta in curia predicti duo quartalia filiginis annuatim absque uno modiolio. Item in villa Werle nunc deserta unam curiam habentem duos mansos cum omni iure. Item in villa Molize ultra Soltwedel in una curia, quam nunc inhabitat quidam nomine lange Kersten, unum quartale filiginis annuatim de quodam manso, qui dicitur mansus prepositi in Dore. Item fructus cantuales vulgariter Sanckorne in villa Vnsfelde: omnes villani soluunt annuatim I quartale filiginis. In villa Dülseberge omnes villani soluunt ann. IV modios filiginis. In villa Hogen Dolsleue villani soluunt I quart. annuatim. In villa Ekhorst omnes villani I Marc. Lubic. soluunt annuatim. In villa Winckelstede omnes villani soluunt ann. VIII solidos in villa Kortbeke omnes villani soluunt ann. IV mod. sil. In villa Klestene omnes villani soluunt ann. II mod. sil. In parochia Henninghe in qualibet villa quelibet curia alterum medium modiolum filiginis et alterum medium modiolum auene soluit ann. Preterquam in Wendischen Grauenstede ibi tantum due Curie simul soluunt IV solid. et molendina in eadem parochia soluunt ann. quodlibet I modiol. filig. Ultra hec in eadem parochia in villa Bernebeck omnes villani simul soluunt IV modios filig. ann. de ecclesia propria in villa. Idem faciunt omnes villani in Dudschen Grauenstede et in Ammendorpe et in Wistede etc. Ut autem cuncta omnia et singula inuolabiliter et pacifice et quiete apud eandem preposituram et pro tempore ibidem prepositum permanere valeant, eatenus expediat de nouo ipsi prepositure et pro tempore preposito damus et appropriamus et ex certa nostra scientia robor confirmationis adiicimus, volentes quod de cetero omnia supradicta bona ecclesiastica censeantur et habeantur quodque omnibus et singulis privilegiis et libertatibus, quibus bona ecclesiastica quecunque in genere vel in specie gaudeant et utantur, uti et gaudere debeant, inbibentesque uniuersis et singulis Christi fidelibus, cuiuscunque status gradus dignitatis preminentie aut conditionis existant, ne aliquo modo prepositum pro tempore predictum super predictis bonis, possessionibus, redditibus et emolumentis molestent vel inquietent, sub pena excommunicationis late sentencie, quam contrafacientes decernimus ipso facto incurfuros. Datum Luneborg, sub anno a natiuitate domini millesimo quadringentesimo (quadragesimo) tertio, ipso die B. Cecilie virginis gloriose nostro sub sigillo presentibus appenso.

Gerdens's Dipl. II, 401-408.